Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancto Leone papa

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

sepeliri. Famam faciens quod in exilium
essent missi. Post hec filius Terenciani a
demone arripitur et intra domum clama-
re cepit quod a martiribus uretur. Quod
videns Terencianus scelus confitetur et christianus
efficitur. Passio sanctorum ab eo scribitur et eius
filius liberatur. Passi sunt autem circa annos domini
ccc. lxiiii. ¶ Refert Gregorius in omelia
evangelii: Si quis vult venire post me etc. quod
quedam matrona dum ecclesiam horum
martirum frequenter visitaret, et die
quadam inde rediret, duos stantes sub
peregrino habitu monachos invenit,
quos peregrinos credens elemosinam
eis dari precepit. Sed priusquam dispensator
ad largiendum eis elemosinam appropin-
quaret, assistunt ei vicini et dixerunt:
Tu nos modo visitas, et nos te die
requiremus et quicquid possumus tibi
prestabimus. Quo dicto ab oculis eius abla-
ti sunt. ¶ Ambrosius de hiis martiribus in prefatione
sic dicit: Beati martires Johannes et Paulus veraciter
impleverunt quod davitica voce canitur:
Ecce quam bonum etc. ¶ Nascendi lege
consortes, fidei societate coniuncti, passi-
onis equalitate consimiles, in uno simul
domino gloriosi. De sancto Leone papa. [illegible]

Leo papa ut in miraculis beate
marie virginis legitur in ecclesia
sancte Marie resurrectionis dominice missam
celebrabat et dum fideles per ordinem com-
municaret, et quedam matrona manum
eius osculata fuisset, et hec mea vehe-
mens carnis temptatio insurrexit.
Sed vir dei in semetipsum severissimus ul-
tor insurgit et eadem die manum scan-
dalizantem occulte penitus ampu-
tavit et a se proiecit. Interea murmur
oriebatur in populis cur summus pon-
tifex divina more solito non celebra-
ret. Tunc leo ad beatam virginem se
convertit et eius providentie totaliter
se commisit. Tunc illa continuo sibi
assistit et manum suam suis sanctissimis
manibus restituit et reformavit, in-
bens ut procederet et filio suo sacrificium
immolaret. Leo igitur omni populo quid
sibi contigit predicavit et manum resti-
tutam omnibus evidenter ostendit.
Hic calcedonense concilium celebravit,
solas virgines ibidem velari institu-
it. Ibi et statutum fuit ut virgo maria
mater dei appellaretur. ¶ Leo quoque
tempore attila ytaliam devastabat. Sed
igitur leo in apostolorum ecclesia tribus diebus
et noctibus orationi vacans post hoc
dixit ad suos: Qui vult me sequi
sequatur. Cum igitur ad attilam appropinquas-
set, ille ut beatum leonem vidit de equo
descendit eiusque pedibus provolutus ro-
gavit ut peteret quicquid vellet.
Qui petiit ut ab ytalia discederet et
captivos relaxaret. Et dum a suis ar-
gueretur quod triumphator orbis a sacer-
dote victus esset, respondit: Providi michi
et vobis. Vidi enim a dexteris eius fortissi-
mum militem evaginato gladio stan-
tem michique dicentem: Nisi huic parueris, cum tuis
omnibus interibis. ¶ Cumque beatus leo epi-
stolam ad flavianum episcopum constantinopolitanum
adversus euticen et nestorium scripsisset,
super sepulchrum beati petri apostoli eam po-
suit et ieiuniis et orationibus insistens
dixit: Quicquid in hac epistola ut homo
erravi, tu cui ecclesie cura commissa est
corrige et emenda. Et post dies xl.
oranti ei petrus apparuit dicens:
Legi et emendavi. Accedens quoque leo epistolam
invenit eam manibus apostoli correctam
et emendatam. Alius quoque xl. diebus ieiu-

De sancto Leone [illegible]

nys et orationibus sepulchro beati petri sedu-
lo astitit. obsecrans ut suorum veniam
peccatorum impetraret. Cui petrus apparens
dixit. Dep̄catus sum p̄ te dn̄m et omnia
pecc̄a tua dimisit t. solum id de manuum
impositione debes inquiri. id ē si bene
sive aliter alicui manus imposuisti
exigeris.

De sc̄o petro ap̄lo

Petrus trinomius extitit. vocatus
est enim symon bariona. Symon in-
tp̄tatur obediens vel ponens tristi-
ciam. bariona filius columbe. Bar
lingua syra filius. iona ebraice colum-
ba. Fuit enim obediens quando xp̄c eum
vocavit qui ad unum iussionis vocem
dn̄o obedivit. ponens tristiciam quando
xp̄m negavit. qui egressus foras fle-
vit amare. filius columbe. quia deo simpli-
ci intentione servivit. Secundo voca-
tus est cephas quod interp̄tatur caput vel pe-
tra. incrspans ore. Caput ratione prela-
tionis impletionis. petra ratione firmita-
tis in passione. increpans ore ratione
constantie in predicatione. Tercio voca-
tus est petrus quod interp̄tatur agnoscens
vel discalcians vel dissolvens. quia xp̄i
divinitatem agnovit cum dixit. Tu es xp̄c
filius dei vivi. Et pedes affectuum suorum
ab omni opere mortuo et terreno discalcia-
vit cum dixit. Ecce nos reliquimus omnia
et cetera. Et vincla peccatorum nobis dissolvit
et hoc p̄ claves quas a dn̄o recepit. Il-
lud autem nomen petrus. ihc̄s sibi imponere
dn̄ promisit cum dixit ioh. i. Tu vocaberis
cephas quod interp̄tatur petrus. Secundo
promissum imposuit sic dicit m. iiii. Et im-
posuit symoni nomen petrus. Tercio in-
positum confirmavit cum dixit m. xvi.
Et ego dico tibi quia tu es petrus et super et cetera.
Cuius martirium marcellinus papa et
egysipus et leo papa scripserunt. De
nomine.

Petrus apostolus
inter ceteros et super ceteros ap̄los
maioris fervoris extitit. Nam et sci-
re dn̄i proditorem voluit quod ut dicit augu-
stinus eum scivisset dentibus discerpsisset.
Et ob hoc dn̄s proditorem nominare nolu-
it quia ut ait crisostomus. si ipsum nominasset
statim petrus consurgens eum insurrexisset et ipsum
protinus trucidasset. Hic super mare ad dominum
ambulavit. Iudicium transfigurationis
et puelle suscitationis ad electus fuit.
statera in ore piscis invenit. claves
regni celorum a dn̄o accepit. pascendas
oves ad accepit. tria milia hominum in
pentecosten sua predicatione convertit. Ana-
niam et saphiram morte predixit. eneam
paraliticum curavit. cornelium baptiza-
vit. tabytam suscitavit. umbra
sui corporis infirmos sanavit. ab hero-
de incarceratus sed ab angelo liberatur.
Qualis autem eius cibus vel indumen-
tum fuit ipse sibi in libro clementis te-
statur. Panis inquid solus cum olivis
et raro cum olibus usus est. indumentum sicut
in quo videtis tunica cum pallio. Et hoc
habens non aliud requiro. Fertur quo-
que quod sudarium semper in sinu habebat quo
crebro fluentes lacrimas detergebat que
quando dulcedinis et allocutionis et p̄-
sencie dei memoria erat. p̄ nimia amo-
ris dulcedine lacrimas continere non poterat.
Refert quoque clemens sicut in quibusdam
suis hystoriis invenitur. quod cum uxorem pe-
tri ad passionem ducerent petrus ingenti
gaudio exultavit. ac eam proprio nomine
vocans postea exclamavit. O coniux
memento dn̄i. Quadam vice cum petrus
ap̄ls duos de discipulis suis misisset
ad predicandum dn̄i xp̄i dietas iniret